

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

Vaticinivm IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

IN VATICINIA.

nos manuscripta potius, quàm impressa secuti sumus. Verùm ridendus admodum, qui gallos, & anseres somniat, nam exemplar ab hinc trecentis ferè annis affabrè depictum huius veritatem demonstravit, & detexit. Cui etiam tessellatæ imagines aureæ ædis respondent, maiori fide dignæ, quàm cuiusque testimonium, descriptio, picturaque.

VATICINIVM VII.

S Caliger dum in hæreticum hominem inuehitur, iure reprehendit, tamquam pseudomagum. Draco. n. hîc Ecclesiæ persecutorem aliquem significat; columba verò oliuæ ramum gestans, quid aliud, quàm Ecclesiæ pace diuinitas fruentem, & cuiusque minas, & persecuciones contemnentem, minimeque reformidantem, significare dixerim. Benedictum Vndecimum hac imagine expressim ait ipse Scaliger, hominem miræ sanctitatis. Equidem nulli, nisi sanctitate præstanti viro conueniebat Draconem, hoc est, persecuciones contemnere, & Ecclesiæ pacem custodire.

VATICINIVM IX.

E St in aliquibus aquila super clauas, est columba, nos illud nostrum secuti sumus, qui coruum super clauas residentem pingit, quasi innuere velit aliquem crocitando Ecclesiæ, & eius voces pessum dare voluisse, quod tamen Agno immaculato defendente, licet atrociter, & impiè transfixo, haud successit. Sciant omnes docti, & harum rerum curiosi inuestigatores in his vaticinijs ea, quæ homines verè, & in propria forma referunt, Pontifices referre, vel quicquid magis ad hominem accedit: cætera, quæ ab eo recedunt, ad alia extra ipsos Pontifices reduci debere. Hinc perperam huiusmodi consideratio accepta
non

ADNOTATIONES

non tantum hæreticum, & pseudomagum à Scaligero reprehensum in errores traxit: sed plures se inextricabilibus labyrinthis implicauere, qui hæc ad inanes inuentiones, & futiles sui capitis cogitationes applicauere.

VATICINIUM XV.

IN præfatione diximus aliquos hæc vaticinia transacta, & præterita fuisse magnis, & probabilibus coniecturis asserere, alios rotæ similia circūuolui pertinaciter defendere; nobis autem persuasum est, non sibi coherere hæc ita vt coniunctè ferantur, nec ita circūuolui, vt cum ad postremū deuentum fuerit, ad primū regrediamur: sed per interualla temporum hæc suos euentus habere, & tantum maximis rerum, & successuum demonstrationibus, & effectibus expleri, & agitari. Nos etsi mathematicas demonstrationes huiusce sententiæ nõ sumus in medium allaturi: id tamen compertum nobis est, huiusmodi artem vaticinandi Abbatem in oriente didicisse, & numeris instructum, & fretum ea scrutatus est, quæ postea obscurè suis dictis, figurisque inuoluit. Potuissemus etiam in superioribus vaticinijs aliqua recensere ad literas numerales, & ad numerorum figuras attinentia; verum hic locus nobis aprior visus, in quo aliquod specimen huiusce opinionis præberemus; nec miretur quispiam, si breuiores erimus, nec omnia dixerimus, quæ de hac arte differi possent. Sciant omnes, nobis satis esse nunc tantum attingere, vberius ista tractaturi, si primos hos fructus hominū gustibus gratos fuisse intelligemus. Est orientalis natio (vt rem tandem aggrediar) admodum vaticinijs dedita, huic admodum familiaris suis peregrinationibus Ioachimus Abbas fuit, præsertim Græcis, & ob linguam, quam callebat, cum in magna Græcia natus esset, in qua hodie etiā Græca verba resonare audimus. Est igitur admodum domesticum, & tritum inter

eos